



**Augustinianum Systema De Gratia Ab Iniqua Bajani, Et
Janseniani Erroris Insimulatione Vindicatum, Sive
Refutatio Librorum Quorum Titulus Bajanismus, Et
Jansenismus Redivivi In Scriptis PP. FF. ...**

Bellelli, Fulgenzio

Monachii [u.a.], 1749

§.VI. Asserta Baji de peccatis, jure à Romanis Pontificibus proscripta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83741](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83741)

quibusdam è Schola Theologis, qui sentiunt posse, spectata absoluta Dei potentia, gratiam sanctificantem simul consistere cum peccato mortali, ea ducti ratione, quod in peccato præter reatum pœnæ sit etiam maculæ turpitudine, quam Bajus, ut paulo infra videbimus, denegavit; atque percipere non possimus quomodo simul existant forma & privatio, vita & mors, lux & tenebræ: de

qua re legenda quæ scripsimus capite 3. præcitati libri xix. Qui ergo lucubrationunculas nostras in locis nuper commemoratis, id est Volum. 3. Theol. discipl. pag. 250. 265. 305. & seq. necnon Volum. 7. aliquantulum expendere non dedignabitur, optime percipiet non potuisse à nobis expressius rejici & damnari dogmata omnia Baji, quæ hæctenus recensuimus.

§. VI.

Afferta Baji de peccatis, jure à Romanis Pontificibus proscripta.

S U M M A R I U M.

1. Octo propositiones Bajanæ.
2. Ob quem sensum damnatæ.

3. Opposita Augustinianorum doctrina.

1. Baji propositiones 20. 73. 46. 47. 50. 51. 69. 70.

I. Q Uemadmodum Bajus cuilibet bono operi vim tribuit justificandi, ita cuicunque operi malo attribuit æternæ pœnæ reatum, æque de malis ac de bonis meritis tradens erroneam pravamque doctrinam, quæ octo proximis articulis comprehenditur. XX. propositio Baji enuntiat omne peccatum promereri *pœnam æternam*, ac nullum esse peccatum *ex natura sua veniale*. LXXIII. exprimit, veraciter non impleri præceptum charitatis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, quamdiu in diligente est aliquid concupiscentiæ carnalis, ideoque in hac vita nunquam servari primum mandatum decalogi. XLVI. inquit ad rationem peccati non pertinere *ut sit voluntarium*, ideoque peccatum originale habere veram rationem peccati absque ullo respectu *ad voluntatem Adami*, à qua originem habuit. XLVII. affirmat peccatum originis esse in parvulis voluntarium *voluntate habituali*, & in eis *habitualmente* dominari, quia non gerunt contrarium voluntatis arbitrium: atque ex illa *habituali* voluntate, quæ dominatur in parvulis, infert eos absque baptismo, & ante usum rationis decedentes, actualiter Deum odio habere, Deum blasphemare, & Dei legi adversari. LI. & LII. asserunt omne scelus esse *eiusdem conditionis*, & suum auctorem, ejusque posteris posse eo modo inficere, quo inficit *prima transgressio*: ex vi autem transgressionis tantum meritorum malorum contrahi à generante qui nascuntur cum minoribus vitis, quam qui cum majoribus. LXIX. ait omnes justorum afflictiones esse *ultiones peccatorum ipsorum*; R. P. Berti Theol. Tom. X.

ideoque quidquid Job, ac Martyres passi sunt, propter peccata, quæ contraxerunt, fuisse perpeffos. LXX. Deiparæ quoque afflictiones peccati ipsius, *vel originalis, vel actualis*, ultiones fuisse autumat; eamque propter peccatum contractum ex Adam, à quo neminem præter Christum eximit, mortuam esse pronuntiat.

II. Quid in præmissis propositionibus sensus erronei meritoque reprobati comprehendatur, satis perspicuum est. I. Primo Bajus negat dari peccatum veniale, & peccatis omnibus reatum æternæ damnationis adscribit. Jure hac in re Bajum reprehendunt Lovanienfes in sua Expositione cap. 8. Bellarminus lib. 1. de amiss. Gratiæ cap. 10. Gregorius de Valentia 1. 2. disp. 6. quæst. 18. puncto 1. Turrianus in Tractatu de erroribus Baji cap. 3. §. 1. Ipsemet Bajus in sua Apologia fatetur à se quæstionem illam, *An dentur peccata ex natura sua venialia*, recenseri inter eas, quæ *salva pace Catholica*, varie disputantur, *licet Staphilus eam hæreticis erroribus annumeraverit*. Addens verò Bajus non impleri præceptum diligendi Dei, si aliquid concupiscentiæ inveniatur in diligente, præter hæresim, quæ cuilibet motui concupiscentiæ tribuit rationem peccati, ac transgressionis, etsi homo eidem motui dissentiat, de qua hæresi dictum supra §. 3. videtur existimasse nunquam in hac vita posse diligi Deum *ex toto corde*, non tantum eo sensu, quod concupiscentiæ motus impediunt, ne cor toto impetu feratur in Deum: verum etiam quod lex non impleatur per charitatem, quæ consistit cum aliqua carnis rebellionem, tametsi violenta.

2. Prædictarum propositionum sensus pravus.

(F)

lenta. II. De peccato originali gravissima effudit absurda, ac principio commentus est non posse illud appellari *voluntarium*, nec etiam comparate ad primi hominis transgressionem, qui voluntarie peccando communem naturam infecit, hoc inferens ex erroneo principio, ad peccatum universum non requiri, ut sit voluntarie patratum. Tum seclusa à peccato originis voluntate primi parentis, cuilibet peccato posteriori tribuit vim inficiendi totum genus humanum, eo prorsus modo, quo ipsum infecit prima transgressio, etiamsi peccatum illud esset *veniale*, quod in systemate Bajano minime datur. Hinc licet peccatum originale sit unum idemque in omnibus, idque Bajus negare non audeat; haud obscure tamen innuit, unum nasci alio praviores & nequiores, atque ob peccata parentum cum majori, aut minori meritum malorum hereditate. Nec affirmavit tantum manere in parvulis concupiscentiam rationi adversantem, & infeminatam primo peccato; sed ulterius concupiscentiam illam, quæ ex actuali voluntate ad quædam peccata singillatim inclinatur, adeo ut parvulus discedens ante usum rationis, & absque lavacro baptismi propter concupiscentiam illam debeat actualiter Deum odio habere, ac blasphemare, atque cum peccatoribus scelestissimis à prava voluntate, sive à dominante concupiscentia in omne turpissimum scelus abripiatur. Legitote Expositionem Lovanienſium cap. 7. pag. 171. asserta hæc in Bajanis articulis proſcribentium, Turrianum de erroribus Baji cap. 9. §. 1. Ludovicum Bail pag. 150. & 161. aliosque de hoc argumento pertractantes. III. Non ait duntaxat Bajus, mortem, miserrimamque hujus vitæ conditionem ex originali peccato derivasse, quatenus per illud decidit homo à primæ integritatis felicitate, hujusque vitæ incommodis & calamitatibus sese subjecit, quod à nullo Catholicorum negari potest; sed ulterius dogmatizavit mortem, afflictiones, aliasque vitæ hujus arumnas. quæcunque, & quomodocunque contingant, esse poenam peccati: quod nequit dici, maxime si de justis loquamur, & de iis, quibus peccata remissa sunt; his enim multæ afflictiones immittuntur, non in vindictam peccatorum, sed in probationem virtutis, & in gloriæ augmentum. Videtis prælaudatos Theologos agentes de Baji erroribus, Lovanienſes præsertim citato cap. 7. pag. 172. Turrianum cap. 9. §. 2. n. 12. ac 13. necnon Prolegomeno 6. cap. 2. num. 16. præclarum Suarezium.

IV. Injurius demum Bajus in Virginem temere ei originale peccatum attribuit, impie vero etiam actualia: quæ tamen omnia, etiam venialia ac minima, ex speciali gratiæ privilegio sanctissimam Dei Matrem vitasse, ut sess. 6. can. 23. definit Tridentina Synodus, Catholica tenet Ecclesia: & quod deterius est, invenecunde ait Bajus in eadem Virgine, sacratissimo Verbi habitaculo, & impolluto Spiritus Sancti Templo, transfixionem juxta crucem, & corporis mortem fuisse punitionem, multamque originalis, actualisve peccati. Ita Theologi nuperime laudati.

III. Profecto Bajana hæc deliramenta in Augustinensium lucubrationibus refelluntur. I. Dari peccata *venialia* demonstravimus omni argumentorum genere lib. 21. cap. 7. expresse rejecto vicesimo Baji articulo. Diximus eo loci doctrinam Tridentinæ Synodi definientis sess. 6. can. 11. justos, licet in hac mortali vita in levissima saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinere esse justos, ex Augustini libro de Nat. & grat. cap. 35. & 36. desumptam fuisse. Cum ipsis vero quotidianis levibusque peccatis, in hac etiam vita, in qua caro concupiscit adversus spiritum, dari veram charitatem, quæ sit plenitudo legis, reddatque homines Dei amicos, tum citato in loco tradidimus, tum cap. 14. libri tertii ac vicesimi. II. Differentes de originali peccato in libro 13. negavimus transfundi in posteros peccata proximorum parentum, & puerulos nasci cum majoribus, vel minoribus malis meritis, repetentes cum Augustino de peccatorum meritis cap. 10. alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt, aliud hoc unum, in quo omnes ille unus homo fuerunt. Addidimus cum eodem S. Patre disputante adversus Julianum lib. 6. Op. imperf. num. 21. primam transgressionem Adæ habuisse suam vim, & suum meritum singulare, ut potuerit omnium ex viro & muliere nascentium in deterius mutare naturam, ideoque non omnia scelera tantæ esse malitiæ, ut potuerint eadem ratione inficere universum humanum genus, ut effudit delirus Bajus, cujus rursus damnatos articulos in medium ibidem attulimus, & refutavimus. Eodem in libro cap. 6. scripsimus: *Ut peccatum actuale est voluntarium voluntate arbitrii illud perpetrantis; ita originale voluntarium est singulis originaliter voluntate protoparentis, qui legem transgressus sui pem quoque*

3.
Augustini.
na doctrina.

quoque suam in se tanquam in radice vitavit: quibus verbis depromptis ex Augustino cap. 26. Enchiridii, satis aperte significavimus, quod prolixius evincere studuimus lib. 16. cap. 3. pertinere ad rationem peccati, ut sit voluntarium, & peccatum originis voluntarium dicendum esse comparate ad voluntatem Adam, ut didiceramus ab ipsomet Augustino agente lib. 1. Op. Imp. contra Julianum num. 47. *Origo etiam hujus peccati descendit à voluntate peccatoris.* Non item, ac postremo capite praelaudati libri XIII. dilucide & absque fūco descripsimus Bajanos articulos, quibus asseritur parvulos nondum regeneratos ideo peccato originis esse obnoxios, quia contrariam non gerunt voluntatem, atque ob dominantem voluntatis nequitiam, si nondum expiati discedant, in Dei odium, in blasphemias, aliaque horribiliora peccata prorumpere. III. Mortem hujusque vitæ miserias esse pœnam peccati, quatenus inductæ sunt primi hominis transgressione, nos quidem tradidimus, & luculenter demonstravimus lib. XII. cap. 13. & lib. XIII. cap. 3. at nullibi diximus iis, quibus peccata remissa sunt, mortem hujusque vitæ incommoda semper immitti in peccatorum pœnam atque vindictam: quin lib. 6. cap. 8. ostendimus in renatis *nihil remanere damnationis*, nil pœnæ, quæ cum reatu culpæ conjuncta sit: quamvis etiam di-

missa culpa manere pœnam aliquam temporalem eluendam doceat fides Catholica, prout demonstravimus contra hæreticos p. 2. libri 34. cap. 10. admonentes cum Augustino lib. 2. de peccatorum meritis cap. 34. ea, quæ *ante remissionem erant supplicia peccatorum, post remissionem esse certamina, exercitationesque justorum.* IV. De Virgine autem Maria lib. 13. cap. 3. asseruimus pie credi à peccato originali præservatam mortuam vero, quoniam genita fuit ex ea carne, ex qua mors corporalis consequitur, *quamquam anima ex hujus carnis confortio non fuerit singulari privilegio inquinata.* Idem scripsimus cap. 6. ejusdem libri. Tandem lib. 18. capite item 6. posteaquam cum Augustino libro XI. de Civit. Dei cap. 31. affirmaveram justos in venialia peccata quotidie labi, statim animadverti, *non comprehendi in hac generali assertionem purissimam Dei Matrem,* producto etiam canone 23. sess. 6. Oecumenicæ Synodi Tridentinæ. Itaque manifesta res est, à nobis refelli & damnari articulos Baji, de quibus hucusque egimus: quod evidentius dignoscet quisquis legerit libros de Theologicis disciplinis tom. 1. pagina 326. tom. 2. pagina 334. tom. 3. pagina 21. 37. 43. 60. 171. 271. tom. 4. pagina 143. 145. & 262. &c. quibus in locis fufius produciatur, & comprobatur quidquid breviter & contracte significatum est modo.

§. VII.

Articuli Baji versantes circa virtutem Sacramentorum, & circa solutionem temporalium pœnarum.

S U M M A R I U M.

1. Septem Propositiones Baji.

2. Sensus istarum.

3. Sententia Augustinensium iis contraria.

1.
Propositiones
Baji 54. 68.
45. 10. 56.
57. 74.

I. **E**X quo Bajus justificationem statuerit in obedientia mandatorum nulla habita ratione vivificationis & adoptionis per Spiritum Sanctum inhabitantem eodemque pacto ratiocinatus fuerit de peccatis, horum singulis inesse putans *meritum æternæ pœnæ*, & præter actum transeuntem solum reatum, seu meritum punitionis agnoverit, ut vidimus duobus paragraphis præcedentibus, factum hinc est, ut non solum *remissionem peccatorum*, & solutionem à reatu pœnæ sejunxerit à justificatione, asserens hanc sine illa perferri; verum etiam extenuaverit efficacitatem Sacramentorum, Baptismi præsertim, ac Pœ-

R. P. Berti Theol. Tom. X.

nitentiæ: quoniam in sensu Baji non alia ratione peccata per hæc Sacramenta remittuntur, nisi quia à reatu & obligatione pœnæ solvunt suscipientes, non autem producendo gratiam sanctificationis, quam in Bajano Systemate catechumeni & pœnitentes obtinuerant, dum à Spiritu Sancto movente excitarentur, & se per varios fidei, spei, timoris, & charitatis initialis actus ad ipsam gratiam recipiendam disponerent. Quamquam id ex dictis evidens sit, magis tamen proximis damnatis assertionibus comprobatur. LIV. enuntiat in peccato inveniri *actum, & reatum*, quorum primo transeunte, nil maneat præter reatum, sive

(F) 2

obli-